

Impossibile autem cum sit sub angustiis unius vel alterius §. de omnibus requisitorum specialibus agere, provoco hac vice solum ad Dictatoris Medicinæ summi, HIPPOCRATIS nimirum varia scriptorum suorum loca, præsertim ad *aphorismum I. Lib. I.* ad ejus *Legem (x)*, *Jusjurandum, de Medico (y)*, *de decenti ornatu (z)*, ad *CONRINGIVM (a)*, *CASP. BARTHOLINVM (b)*, *LANCISIVM (c)* & *SEMPRON. GRACHVM MASSILIENSEM (d)*. Quæ ut paucis comprehendam, (4) hæc a Medico generalia exposco: (1) *scientiam*, (2) *conscientiam*, (3) *curam honesti & decori* (4) *judicium, in rebus peragendis, prudens & circumspectum.*

Quoad *scientiam*, in specie ante omnia requiro (1) in Medico, ut e *Sacris* omnibus scitu necessariis se instruat, juxta dicta §. I. & H. D. O. M. ceu Medicinæ & omnis salutis Auctorem agnoscat, colat, ab *EOQUE* frequentibus piisque precibus ac votis, divinum ejus auxilium & benedictionem, in omnibus suis laboribus atque consiliis exoret. Omnes quoque suas actiones tam respectu *DEI*, ceu *boni Remuneratoris* benignissimi, *mali vero Vindicis* severi, quam respectu *ægrotorum*, aliorum & Medici ipsius ita instituat, quo divini auxilii particeps non solum esse, sed & felici consiliorum suorum successu effata præclari *BARTHOLINI l. c.* frustra omnem suscipi laborem, peregrinationem, molestiam, curam, studia &c. sine pietate, & *LANCISII l. c.* eum optimum in *Medicina* Magistrum esse, qui pietate in Deum sit præditus non solum; sed & cum *VALLERIOLA (e)* ipso facto, vera affirmare possit.

§. IX.

(x) §. 2. (y) §. 1. (z) §. 5. (a) passim in *Introd. in universam Med.* (b) *Bartholini* aliorumque de studio medico rite instituto prædictæ *Introd. adnexis.* (c) præleganti in *Diss. de recta studior. med. pertractatione rite instituenda.* (d) in Medico hujus seculi sub ficto nomine *S. G. M.* latet vir quidam celebris. (e) per omnes fere præclaras suas observationes earumque scholia.